

A. II. 10 Q







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CARDITIDE SPONTANEA

Q V A M

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS MEDICI
PRO IMPETRANDO LEGITIME DOCTO-
RIS IN MEDICINA GRADV

P R A E S I D E
D. ANDREA NVNN

S. P. CAESAR. COMITE, FACVLT. MEDICAE PROFESSORE ET ADSESSORE
ORDINARIO, VRBIS PHYSICO,

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS KOEPPPEL

SONDERSHVSANVS

ERFORDIAE DIE XV. SEPTEMBR. MDCCLXXXVIII.

IN AVDITORIO MEDICO HOR. CONSVET.

LITERIS HENRICI RVDPHII NONNII, ACAD. TYPOGRAPH.



DISSERTATIO ANATOMICA MEDICA

DE

CARDIUM SPONTANEA

CAUSA MORBI

PROBATA PER OBSERVATIONES

ANATOMICAS

ET CLINICAS

A. ANDREA VANNI

MDCCCXXXIII

LEIPZIG

1833

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG





PRAEFATIO.



Multa sunt scriptoribus medicis notata cordis inflammati, exulcerati, tabe confecti, exempla; quæ apud solertissimos Morgagni * & Senac ** collecta legas: ut adeo haud rarum sit, homines cordis virio phlogistico trucidari, morbusque sæpius occurrat, quam constat.

Nihilo fecius diagnosi morbi obscura est, nullisque certis signis ab inflammatione pleuræ, pericardii, pulmonis sinistri lateris dignoscere adhuc datum est.

Animi enim deliquia, palpitationes, pulsusque intermittentes, quæ signa fere omnes inde a Galeno proferunt, partim

* 2

* de sedibus & causis morborum. Libr. II. Epist. XXV.

** Traité de la structure du cœur. Tom. II. p. 380. seqq.

aliis morbis communia *, partim haud perpetua sunt. Neque locus doloris ad sternum ** certum morbi indicium praebet: cum saepius dolor per consensum & nexum nervorum in alienum prorsus, a sede causae irritantis locum referatur.

Huc accedit, nervos ad cor pertinentes ratione decursus & combinationis varie, ut natura legis impatiens solet, ludere. Id quod ex descriptionibus, quas clarissimi anatomici de nervis cardiacis exhibuerunt patet.

Hinc nosologi methodici morbum vel omiserunt, uti Linneus ***, Vogel ****, alii, vel quantum per experientiam licet designaverint: adeo ut vera adhuc sit Senaci † & Cullenii †† sententia; quod, si certa inflammationis cordis & pericardii signa data essent; eadem tamen methodo curandi, qua inflammationi pectoris in genere, mæderi, medela modo acrius insistere debeat medicus.

Ast in ardua re voluisse fat est. Nec ulteriores difficilis hujus morbi observationes superfluas esse, sed ad perficiendos morbi absconditi characteres semper aliquid facere ††† puto. Hinc spero fore, ut Lector æquus observatiunculas, quas Dissertationis inauguralis loco proferam benigno suscipiat animo.

Vir

* vid. Petr. Foresti observationem medicinalium, Libr. XVII.

** Senac. l. c. p. 391. Selle pyretal. p. 126.

*** Genera morborum. Amœnit. Acad. Vol. VI. p. 459.

**** in Praelectionibus de cognosc. & curand. c. huc affectibus.

† libr. cit. Tom. II. p. 392.

†† Anfangsgründe der praktischen Arzneywissenschaft. p. 242.

††† Les lumières les plus profondes que nous pouvons acquerir ne vous ont pas decouvert des remedes contre ces maladies; mais les tentatives n'ont pas été entierement instructueuses; beaucoup des maux auxquels le coeur est sujet trouvent des remedes, qui donnent du soulagement, qui les pallient, qui en arretent les progrès. Senac, de la structure du Coeur T. II. p. 392.



Vir 56 annorum habitus macilenti, vitæ actiuosæ & diætæ spirituosæ deditus, ab aliquot annis asthma subinde tentabatur, cum dolore dorsi alternante.

Anno 1787. die 8^{vo} Augusti denuo asthma spastico & dolore dorsi corripitur, cum pulsu molli, æquali, 70ies intra minutum primum micante. Huic ex resina Guajaci cum solutione gummi arabici subacta, & emplastro ex cantharidibus pectori adplicato, dolor auferebatur, asthma mitigabatur. Sed 13^{tio} ad vesperam asthma tanta cum anxietate, extremis & sudore frigidis rediit, ut metus suffocationis esset.

A

San-

Sanguis ex vena extrahitur, clysmata ex antispasmodicis, aqua fecida, frictions extremitatum, frustra tentantur; paroxysmus totam noctem durat. Die 16. tussicula rarior cum sputo pituitæ tenacis accedebat: huic emulsione ex drachmis duabus gummi ammoniaci, cum tartari stibiati granis duobus succurrere visum est. Inde tussis silebat, nec sputum pituitæ resolutæ, quod expectabatur, succedebat, asthma quidem mitescibat, sed quotidie ante mediam noctem, uti solet, modo acrius modo mitius recurrebat, usque ad 28. Augusti

Quo die febris incidit, cum pulsu frequenti (110, qui hucusque nunquam 80 superabat) molli, æquali, asthmatis paroxysmus nocte intenditur, dolor acutus intermittens lumbos rarioribus vicibus pervagatur. Porrigitur pulvis ex radicis Valerianæ & feminis Phellandrii partibus æqualibus mixtus. Ex quo vapor ex cute pelli cepit, asthma autem nil levare, quod nocte die 30 cum sudore largo incrucescebat.

Sed die insequente dolor fixus cum tumore pedem tenet, urina, quæ hucusque limpida aquosa erat, turbatur, sedimentum rubellum demittit: asthma nunc mitescere incipit, tandem evanescit. Ast paucis diebus elapsis dolor cum tumore pedem relinquunt, se ad pollicem manus figunt, inde evanescunt, & asthma redit.

Pulvis

3

Pulvis seminis sinapeos cum fermento panis & aceto subactus pedi applicatur, exhibetur succus Aconiti cum vino antimoniato Huxhami & spiritu Mindereri mixtus. Inde vapor continuus cutis, dolor autem nullus excitatur, urina limpida excernitur, asthma per aliquot dies silet, pulsus molliter undosi inter 80. 90 fluctuant.

Die 4^{to} Septembris asthma vespertino tempore redit, & cum sudore continuo diebus alternis agrum angit. Cumque nunc alvus haud rite succedere inciperet, & excretio alvi tenesmo turbaretur, clysmata injecta sunt & lenibus evacuantibus intestina purgata; in quo id singulare, quamlibet evacuationem, paroxysmum asthmaticum insequi, observabatur.

Purgatis primis viis, & typo intermittente persistente, observatisque inter populum hinc inde febribus intermittentibus frequentioribus, die 12. Septembris, salis ammoniaci uncia semis extractio amaro excepta, agro brevi post paroxysmum asthmaticum temporis spatio deglutienda exhibetur: usu hujus medicamenti per aliquot dies continuata, respiratio tandem expedita est atque liberata, ut agrotus negotiis vacare posset usque ad

Anni 1788. diem 19. Februarii: cum ob negotia post cenam, perfecte sanus, exiret, in via pectoris repentino dolore tensivo terebrante corripereetur, ut agre domum, qua tendebat, assequi posset, dolor ex regione pectoris, paulo

A 2

infra



4

infra & retro papillam mammae, ad brachium extenditur, cum anxietate vehementi agrotum excruciat, pulsus mol-
lis est parvus & tardus ut vix 60^{mum} intra minutum primum
perficeret, ventriculus simul vomitum conatur. Pectus te-
gitur linteis ex decocto chamomeli tepido expressis, applica-
tur clyfma. Clyfma cum multo crepitu exploditur sine le-
vamine doloris, nec ullum ex epithemate solatium.

Inde illa nocte vena secatur, sanguis extractus haud
phlogisticus adparet. Exhibentur antiphlogistica nitrosa
cum oxymelle simplici; dolor idem perdurat, anxietas
enormis continuat, ructus ex ventriculo vomituriente emer-
gunt sine ullo levamine: inciditur locus dolens, exhauritur
sanguis cucurbitulis. Dolor atrox interdum intermittit,
pulsus molles parvi, 65 intra minutum primum numeran-
tur. Die vigesimo mane vena repetito secatur, continuan-
tur epithemata emollientia applicatur clyfma. Sanguis ex-
tractus nulla inflammationis signa exhibet, dolor remittit,
aeger libere respirat, pulsus mollis aequalis affurgit ad 80.
Continuatur usus nitri soluti cum oxymelle simplici, appli-
catur emplastrum cantharidum. Sequenti die (21) dolor
pectoris sublatus, pulsus 90 molles aequales. Nunc dolor
mitis regionem gastricam tenebat, appetitus nullus, inde ex
die 22 usque ad diem 25, pulsus idem dolor nullus, debi-
litas, alvus obstructa applicatur clyfma, inde alvus soluta.

Die 25, pulsus 80 molles, aequales, dolor dorsi & regionis
gastricae; exhibetur infusum ex Tamarindorum uncis duabus
&

& falis mirabilis Glauberi uncia semis aquæ ferventis unciis sex
cujus colaturæ ut omni trihorio cochlearia duo assumat. In-
de alvus soluta, dolor dorsi & gastricus mitefcunt; sed ad
vesperam & insequentem noctem asthma redit pristinum, ap-
petitus nunc redit, vires haud resciciuntur.

Die 27. Pulsus 108 molles æquales, dolor ad clavicu-
lam ortus juxta latus colli ad caput tendens, dolor capitis
lancinans; nuchæ adplicatur epispasticum, potio salina tem-
perans exhibetur; inde dolor ante dictus filat.

Primo Martii die pulsus ad naturalem statum rediit
mollis parvus æqualis, vix ictus 7; intra minutum primum
perficiens; de dolore nulla nunc quærela; sed asthmatis
paroxysmi vespertini nocturni agrum angebant, quos pul-
vere Digitalis purpureæ granis duobus bis de die exhibitis
mitigare tentabatur.

Ex quo asthma quidem quodammodo cohibitum, pul-
sus vero frequentia accelerata est, quæ alias inde minui solet,
ut quarto Martii die & quinto pulsus 110 intra minutum pri-
mum perficerentur cum mollitie tamen & æqualitate; ne-
que urinæ excretio inde largior redita est.

Tassacula nunc oritur, vires depressæ sunt, nullus in
quadam corporis parte dolor, sudor vero profluit, & urina
matutina limpida, vespertina turbida colliquativa, sedimen-
tum mucosum album subinde rubellum demittens, redditur.

A 3

Pul.

Pulveri Digitalis purpureæ substituitur octavo Martii decoctum Lichenis Islandici, & succi amari cum liquore tartari solubilis mixti.

Ex decimo Martii dolor varias per partes viriis insequentibus diebus oberrat, caput, humorum tentat, pharngem spastice tenet, ut deglutitio impedita quodammodo esset, cum sensu boli deglutiti supra cardiacam spastice retenti, deinde ex cardia protinus in ventriculum irruentis; dolor subinde dorsum, regionem gastricam, anum infestat, ut clystina ob dolorem nullam applicari, & excretio alvi non sine molestia absolvi posset; cum insequente notabili debilitate; cui dolori applicatis hirudinibus medebatur.

Præterea asthmatis paroxysmi ad vesperam ad mediam plerumque noctem usque, & subinde acerbè angebant, ut corpus & extrema sudore frigido persusa essent.

Pulsus in omni decursu morbi usque ad finem mensis Martii inter 90 & 100, semper æqualis.

Sub finem Martii, dolor pectoris asthmatici reliquisque symptomatibus accedit, cum tussicula & sputo rarissimo puriformi.

Initio Aprilis excretio alvina larga pultacea, assumpta superans, cum insequente anxietate, asthmatisque exacerbatione &

& debilitate, numerum malorum auget, ut vita cum summa molestia, nullo, ex tanta farragine, medicamine mitiganda, protraheretur usque ad 25. Aprilis, quo, corpore summe extenuato, vires naturæ & artis morti succubere.

SECTIO.

Sectio cadaveris die 26^{to} hora post meridiem quarta instituebatur.

Habitus corporis totius emaciatus.

Abdominis cavum laticem luteolum libræ unius circiter pondore continebat. Intestina tenuia multo aere turgida supra colon transversum sublata deprehendebantur, & omentum tabidum, retro intestina tenuia revoluta in glomerem coarctatum erat, (qui situs ex inclinatione corporis, tum ex lecto portaretur cadaver, forsân subortus).

Intestinum colon a cæco, usque ad dimidiam partem tractus transversi, scybala minuta continebat, inde usque ad finem recti inane, adeoque coarctatum erat, ut vix digitum admitteret. Venæ mesaraicæ & epiploicæ sanguine erant turgidulæ.

Reliqua

Reliqua infimi ventris viscera nil a sana integritate recedebant.

Thoracis cavum, præsertim sinistrum, sero lutescente perfusum inveniebatur, illi, quod in infimo ventre hærebat, simillimum, etiam pondere æquale.

Pulmo dexter pleuræ connatus, sinister undique liber, nisi ad basin, ubi pericardio incumbit, ibi cum eodem arte coaluerat, ut cultro difficile separari posset; uterque pulmo sanus, nullumque vestigium vitii, quod culpam asthmatis ferret, inveniri poterat.

Pericardium cultro a pulmone separatum & dissectum, cum cordis ventriculi posterioris superficie superiore convexa & margine obtuso adeo concretum & confusum erat, ut fines pericardii & cordis discerni, cultrove extricari nullo modo poterant, ibique multum deprehendebatur incrassatum. Pars vero, quæ ventriculum anteriorem involvit, ope massæ tremulæ gelatinosæ, & fibrarum massæ tremulæ intertextarum, cum corde cohærebat.

Ventriculus cordis posterior amplius quam solet dilatatus atque superne & margine obtuso multum incrassatus, fibra muscularis in pulpam inorganicam, lamellatim sponte secedentem, resoluta erat, adeo ut totius fere ventriculi posterioris pars superior & margo obtusus sphæcelo destructus deprehenderetur.

Puer

=

9

Puer novem annorum, ex morbillis convalescens, post refrigerium pectoris dolore repentino, ex medio fere costæ septimæ sinistri lateris ad brachium tendente, affligitur, cum dyspnœa, tussi acri molesta, pulsu frequenti (130), molli, parvo.

Vena secatur, loco deinde dolenti emplastrum epispasticum imponitur, sine ullo levamine; variis deinde incassum tentatis antiphlogisticis, lenibus diapnoicis; dolor persistit modo mitior, modo acrior non solum in pectore & brachio, sed totum corpus rheumatici instar pervagatur; manus sæpe spasmo contrahuntur, excretio alvi tenesimo turbatur.

Deinde febris phthisica, excretionibus sudoris urinæ alvi auctis, colliquata eliminantibus, intra viginti & octo dierum spatium corpus paulatim consumit, dolore, tussi continuo affligentibus usque ad mortem, quæ in termino indicato miserum a cruciatu absolvebat.

In omni decursu morbi, pulsus mollis & parvus inter 110 & 130 numerum fluctuans observabatur, sibi semper constans, regularis, nulla unquam deprehendebatur intermissio, nulla animi deliquia interveniebant.

B

SECTIO.



 S E C T I O.

Cadaver 24 horas post mortem secabatur

Abdominis in cavo, præter glandulas mesaraicas tumidas, subduras, & in hepatis lobi sinistri superficie superiori, prope marginem anteriorem acutum, tuberculum pisi magnitudine, nihil a naturali constitutione alienum deprehendebatur.

Thoracis in cavo pulmones illæsi conspiciantur, sinister pleuræ per fibram laxam adherebat.

Pericardium basi totum inflammatum atque ultra digitum latum erat incrassatum, cumque cordis apice concretum. Liquor pericardii lutescens cochlearia duo implebat, pus saniesve nulla.

Cor undique a basi ad apicem fibris laxis exasperatum, fibrarum interiorum compages & constitutio integra inveniebatur.

 THESESES.



T H E S E S.

- I. **D**olor est affectio nervorum.
- II. Ex dolore vis nervorum turbatur ad suppressionem usque.
- III. Hæc debilitas nervorum ex arthritide pro ratione frequentia ad paralyfin accedit: ut Weickardi theoria apoplexia & paralyseos raris exceptionibus limitari videatur.
- IV. Ex debilitate nervorum fibra mobilis frequentissime spasmodice crispatur, uti hypochondriaca, & hysterica passio docet.
- V. Idem spasmus organorum respirationis ex debilitate nervi phrenici in casu ante dicto ortus est, quod ex integritate pulmonum, & plenaria absentia impedimentorum respirationis in infimo ventre, demonstratur.
- VI. Ex eadem nervi phrenici debilitate inflammationem pericardii & cordis in casu ante enarrato evenisse, & directio doloris in statu inflammationis, insequentisque corruptionis gangranosa docuit, & sectio cadaveris confirmavit.

VII.


-
- VII. Inflammatio enim ex affectione nervorum oritur & spasmu arteriarum perficitur. Hinc tota methodus antiphlogistica in relaxatione spasmi consistit.
- VIII. Sanguis vasorum mox inspissatur, mox attenuatur brevibus temporis intervallis pro ratione actionis vasorum, uti experimenta Hewsoni demonstrant.
- IX. Hinc sanguinis tenuitas phlogistica, lymphæ coagulum & pyogenia inflammationis effectus quidem, neutiquam vero causa sunt.
- X. Adeoque cum nervus phrenicus debilis inflammatione illico destructus esset, cito necrosis illius partis pericardii & cordis, quas nervus adit, evenit.
- XI. Et destructo nervo, vasorumque ibidem regnantium actione sublata, nulla suppurationis vestigia ibidem inveniri poterant.
- XII. Neque minus ex eadem nervi phrenici destructione post inflammationis stadium asthma rediit, nullo omnino medicamento domandum.
-

PICA^d

W 18

+





73

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CARDITIDE SPONTANEA

Q V A M
CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS MEDICI
PRO IMPETRANDO LEGITIME DOCTO
RIS IN MEDICINA

P R A E S I I
D. ANDREA

S. P. CAESAR. COMITE, FACVLT. MEDICAE
ORDINARIO, VRBIS PH

PVBLICAE ERVDITORVM

SVBMITTIT

AVTOR ET RESPO
IOANNES FRIDERICV

SONDERSHVSANV

ERFORDIAE DIE XV. SEPTEMB

IN AVDITORIO MEDICO HOI

LITERIS HENRICI RVDOLPHI NONN

